

virgines adolefcerent, & viro maturæ fierent, vocabantur viduæ virgines. Harum mentionem injicit *Majmon. in libro de conjugio cap. undecimo §. 1.* ubi simul indicat & sponfas virgines & ductas virgines libello repudii ejici potuisse, licet nondum cum sponfis vel maritis consuevissent.

§. 3.

Hujusmodi vidua *virgo sive* desponsata sive ducta esset, & facta vidua, etiam interdicta erat sacerdoti summo, fidem faciente toties laudato *Majmonide de illicito conjugio cap. 17. §. 11.*

§. 4.

Ad has virgines quæ ductæ erant & vivebant cum maritis in virginitate sua, antequam ad annos nobiles pervenissent, referunt Philologi Hannam, de qua luculenter asseritur, quod juxta virginitatem vixerit. Neque Pontificii exsculpere ex hoc exemplo quicquam possunt, quod servandæ perpetuæ in statu conjugali virginitati fa-
veat.